




BIBLIOTEKA  
Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVI 3146









8

AD PROCERES POLONOS  
DE MATRIMONIO  
REGIO

PETRI ROYZII MAVREI  
HISPANI IVRISCON

SVLT L

CARMEN



14.417

COPIES OF THE  
PUBLISHED BY  
THE  
OFFICE OF THE  
DIRECTOR  
OF THE  
BUREAU OF  
ETHNOLOGY  
WASHINGTON  
D. C.



XVI. Qu. 3146

AD PROCERES POLONOS  
DE MATRIMONIO  
REGIO  
PETRI ROYZII MAV-  
REI HISPANI IV-  
RISCONSUL-  
TI  
CARMEN.

**E**Rgo duas Rex AVGVSTVS sine coniuge brumas  
Transierit: regnoq; alius non quæritur hæres  
Coniugis: orbam ne annis tot euntibus aulam  
Aspicimus proceres: nec successoris amorem  
Inhæcitis: Regisq; animos accenditis ignis  
Ad sanctas igni tedas: thalamosq; iugales.  
Scilicet ad lætum brevis est via: tempora fallunt  
Mortales: homini expectata nec aduenit ætas.

Quis non promittit centum sibi prodigus annos?  
At canos pauci optata videre senectæ.  
Ius habet in tempus: non certo astringitur ævo  
Armata mors sæua manu. nec legibus vllis  
Tempora dispensat vitæ. regit vna libido  
Dextram: quæ semper mortalibus imminet ægris.  
Non longæua homines & viribus ægra senectus  
Extinguit: florens & habet sua fata iuuenta.  
Mater anus teneris clausit flens lumina natis  
Sæpius: & parua defletos condidit vrna.  
Se superesse suæ lugens mœstissima proli:

A η Mater

Mater anus, non posse suæ & partem addere vitæ.

Multa cadunt homini medias res inter agendas:

Sæpe inceptantem, moliri & multa volentem,

Ignarum quid fata parent, inopina tulit mors:

Vnius vsuram haud illi largita diei.

Qui bis lustra decem, & seros præsumpserat annos.

Hunc spe æui captum media inter cœpta reliquit

Vita: ac extremæ claudentem lumina nocti

Prærupto Lachesi fleuerunt stamine ciues.

Ille Asiæ domitor Macedo, cui maximus orbis

Paruus erat, maiora annis & Marte secutus,

Multorum victor regnorum & gentis abunde:

Spes inter rerum summas ac inclyta facta

Occubuit iuuenis: sceptrumq; in lite reliquit.

Audisset fidos, vtinam exaudisset amicos:

Coniugio indulgere in primo flore iuuentæ

Parmenio monuit bonus, hæc eademq; sedebant

Antipatro, & quorum melior sententiâ menti:

Successorem Asiæ & tercentum Marte subactis

Liquisset populis, nec tu Macedonia flesses:

Conuersum aspiciens ciuile in viscera bellum.

Infœlix patria hoc vno, quod defuit hæres

Talis Alexandro, qualis fuit ille Philippo.

Impiger at iuuenis dura ad certamina natus

Et graue Martis opus, fidas admittere voces

Noluit impatiensq; moræ, bella, horrida bella

Exorsus: vario late sese intulit hosti

Feruidus, & regnis addens noua regna paternis

Plurima: tantarum medio in molimine rerum

Occidit: & patriam iusto sine Rege reliquit

Morte



Morte sua:partasq; suorum sanguine gentes.<sup>50</sup>  
Nec vero Mars illum hausit:nec barbarus ensis  
Abstulit inuictam illā animam:mors tristis vbiq; est:  
Vt bello sic pace potens,nec noxia ferro  
Est tantum;armataq; furens dat funera dextra.  
Omne genus læto satis est:cum sæua venit mors.<sup>55</sup>  
Vita hominum varijs obnoxia casibus,anceps  
Incerto stat nixa gradu;nec dicere quisquam,  
Quæ maneant se fata,potest,hunc hausit hiatu  
Terra suo;fluctus illum mersere tumentes:  
Exanimemq; pater Neptunus in æquore vidit:<sup>60</sup>  
Eiecitq; salo:& late per littora fudit:  
Funeris impatiens casiq; cadaueris æuo.  
Nex alijs quondam fuit illætabilis aer:  
Infuditq; malum sensim per membra venenum  
Spiranti;tetra infœlix dum vescitur aura.<sup>65</sup>  
Multos ignis edax rapidisq; incendia flammis  
Corripueret:interq; atras mersere fauillas.  
Tullus Romani princeps columenq; senatus,  
Fato alio dignus,cum totis ædibus arsit.  
Nobiscum bellum tellus gerit,æquor & aer:<sup>70</sup>  
Ignisq;, & cælo quicquid se subñcit alto.  
Hostis vbiq; homini:nostræ imminet vndiq; vitæ  
Pallida mors,iugulumq; sua tenet effera dextra.

Qui senium atq; annos optat producere longe:  
Quid vitet fugiatq;:idem, quæ tuta sequatur:<sup>75</sup>  
Nesciat.est adeo nostræ non certa salutis  
Semita,& abstrusi fors cuiq; abscondita fati.  
Tristia venatu,lentæ & mala tædia vitæ  
Dum vitare iuuat,se ve exercere equitatu.

80 Bella animis, cæso aut meditantem ex hoste triūpbos.  
Hic excussus equo medijs moribundus in aruis  
Voluitur, ille feras agitans in montibus altis  
Dilaniatur apro: aut Lybico fit præda Leoni  
Infelix: & sæua feræ quæ fata parabat

85 Expertus iacet: atq; animam vomit ore cruento.  
Cornuaq; imbellis non fata ad talia cerui  
Naturæ fabricata manu, vinxere ruentem  
In prædam venatorem, tractumq; per arua  
Fudere exanimem: laceratum corpore toto.

90 Plena hæc ancipitis si cui sunt visa pericli:  
Seq; abdat tectis: tecti metuenda ruina est  
Annis corrupti, noua nec magis atria quisquam  
Tuta putet: recolens exemplum, maxime Cæsar  
Iouiniane, tuum: quem sicca haud solibus vllis

95 Regia funesto graue olentis calcis odore  
Extinxit: tristiciq; ac insueto funere merfit.

Ergo domos linquam: vestigia prima ferentem  
Eruta de summis iugulabit stiria tectis.

Tegulae obruncet deiecta furentibus austris.

100 Scilicet in medios si cui procedere campos

Stat, formidatas cupido vitare ruinas

Tectorum, dubios casus, maleq; atria sarta.

Aeschilus hunc mæsto terrebit funere euntem,

Qui metuens ea fata, suis se credere tectis

105 Haud ausus, campis urbem mutauit apertis:

At male securi, celsa Iouis ales ab æthra,

Verticis vt calui splendore elusa poetæ est:

Dum prædam caprat præduro illidere saxo,

Præda fuit testudo, caput testudinis ictu

Verberat

Verberat ex alto: fuditq; per arua cerebrum.

Mors, quocunq; pedem ferimus, comitatur euntes:

Atq; loci tutum nihil insidiosa relinquit.

Haud meminisse iuuat dubij spectacula Martis:

Gratis pro hospicijs Augusto quæ ædita nostro,

Alta Borussiaci modo mœnia consternarunt

Principis, & tristi turbarunt funere gentem.

Tormento pila iacta breui dum peruolat auras

Lento impulsa igni, concepto haud sulphure toto.

Incertum, cui dira necem noctemq; supremam

Fata parent, & pro lætis dent funera ludis

Tristia: præcipientesq; obitus, nancq; agmine denso

Haud potuit glans per medias innoxia turmas

Decidere: ingenti rueret licet acta fragore.

Hic Rex Augustus, Regi Dux proximus istic

Albertus stabant in equis: densæ vndiq; turmæ

Implebant late campum, fata & sua quisq;

Horrebat trepidans, tonitru ceu quando corusco

Iuppiter ex alto terras tremefecit olympo:

Irataq; manu rubra librauit ab æthra

Fulmen: stat populus sine mente exterritus omnis:

Exanguisq; animos quassat pavor: ab Ioue sese

Quisq; peti putat: & præsentia fata timescit.

Ferrea glans ingens descendens pondere magno,

Fumifero commixta igni & caligine cæca,

It cælo ceu nube latens, nec cernitur vlli.

Horresco memorans, terrorq; a carmine mentem

Auertit: præceps rupto ruit æthere: iuxtaq;

Augustum armigeri ferijt caput: & nece pilum

Excussit manibus, quod hero miser ille ferebat

Nequicq;

140 Nequicq̄ AVGVSTO: fuditq; per arua cerebrum.  
Auertisse Deos AVGVSTI à corpore casum  
Crediderim; glandemve manu tenuisse cadentem  
Lætiferam, dum vectus equo procederet aruis.

AVGVSTI hoc pietas, & lādere nescia sceptrā,  
145 Hoc populi meruere preces: reducemq; dedere.

Vnum inter Reges Pyliam superare senectam  
Dignum; Sarmaticisq; manu plus stringere sceptris.

Vt clemens, iustusq; irasci vt nescius vlli:  
Lex nisi cum vindex vltrices sumere pœnas

150 Læsa iubet: rigido ve coercet carcere fontes.

Ergo tot ancipites inter casusq; vicesq;  
Haud dubias rerum, totq; vndiq; certa pericla.

Maturate iuri, Regem connubia ad alma  
Hortari AVGVSTVM: vobis si chara propago est,

155 Incluytaq; a magno gens Iagellone profecta.

Qua vobis nunq̄ stirpivè superstite vestræ  
Deerit honos, priscumq; decus, belliq; togæq;  
Gloria: non vlllo & nomen delebile sæclo.

Tuq; adeo, qui prima Deo fers thura tonanti

160 SAuromatas inter, cui relligionis auitæ  
Cura sedet: sacroq; agitatur spiritus cestro.

Dzirgouia, NICOLAE, domus memorabile nomen,  
Hortare AVGVSTVM ad thalomos, iustūq; Hymenēū

Coniugis olim, teneat qui sceptrā, propaget.

165 Iagellone satum superet genus: & sua semper  
Sceptrā volens fœlix huic porrigat omne per æuum

Sarmata: non alio quærantur sanguine Reges.  
Vestras, pontifices, genus hoc non segniter olim

Auxit opes, hoc, Tybri, tuas: Lithuania falsos  
Iagellone

Iagellone deos authore idolaq; liquit:  
Aspidaq; & sæuos spiris voluentibus angues:  
Syluasq; ignesq; & lucos contraria fana.  
Aeternumq; aris induxit numen Iesu.  
Proq; alio extincto meliores flaminis ignes  
Aetherei: rerumq; opifex delubra subiuit  
Tergemino sacrata Deo: cœliq; potenti  
Lucentisq; athræ domino, cui terra fretumq;  
Paret: & inferni regnum illatabile Ditis.  
Et iussus pandit sæuus tria Cerberus ora:  
Tisiphoneq; suos soluit nectitq; colubros.  
Tartareaq; ministra domus furibunda Megæra,  
Et soror Alecto ponitq; & suscitât iras.

Quid memorem, statuit diuis quas cernuus aras:  
Quæ delubra Deo cultu celebranda perenni:  
Vatis Iesæi venturi nuntia Christi  
Carmina, diuino Iagello impulsus amore,  
Gracche, tuas olim cantari iussit ad arces:  
Tempore qui ex illo nostrum mos durat in æuum.

Et Iagelloni Cracouia debet eidem  
Pulchrorum fructum studiorum, & nobilis oti.  
Ore sonet Latio seu Graio docta iuuentus.  
Artifices ve aptet nexus, & vincula soluat  
Verborum: studio rerum dum certat amœno:  
Cunctorum solers causas scrutata latentes.  
Siue iuuat mulcere aures: populumq; tenere  
Dicendo, proq; arbitrîs impellere vulgus.  
Astra nec obscuris, qua se Cracouia iactet  
Laude licet, signis data cernere fata docentur:  
Et qui quemq; labor maneat, quæ munera vitæ

200 Natali præuisa die, quiq; vrbis honores,  
Siue Machaonias & ditis Apollinis artes  
Scire placet: tetrosq; expellere corpore morbos,  
Perplexas ve foro lites & iurgia sæua  
Discutere: ac finem longis imponere rixis:

205 Paccatasq; vrbes haud dispare lege tenere,  
Siue hominum placeat mentes attollere cælo:  
Imbutas pietate & relligione deorum:  
Vis humana potest quo nil contendere maius,  
Hæc Iagelloni generosa Polonia debet.

210 Et rigido tellus septem subiecta trioni  
Omnis: & ad gelidam quisquis caput exerit Arcton,  
Hæc stirpi debentur: & omni ex ordine genti:  
Natis natorum serisque nepotibus olim.

Hæc quantum stabit vestro domus inclyta regno:  
215 Relligio his tantum pietasq; vigebit in oris,

Nec Christo inuisos fundent altaria ritus,  
Tuq; tuos, Romane pater, iactabis honores:  
Nequicquam crudelis opes lætabitur hostis  
Depopulasse tuas: meritumq; hausisse cruorem:  
220 Cæcæq; vesani concedet opinio vulgi:  
Et melior cunctis mens & par cura sedebit.

Ergo quid AVGVSTVM exortari vocibus æquis  
Pontifices cessatis: opum quos cura sacrarum  
Vna premit: templiq; decus, lætos Hymenceos  
225 Concelebret: fundatq; suo de sanguine gentem:  
Prensæt quæ hæc eadem scepra, & det iura Polonis:

Viueret o vtinam, & vitales carperet auras  
Antistes SAMVEL, nostro Maciouius æuo  
Inclytus: atq; olim sæclo memorabilis omni.

Ille hominum tractare animos, & flectere corda  
Eloquio bonus: & dictis accendere mentes.

Vestrum, Pontifices, communem hunc ferre laborem  
Vnus erat sat: docta volens modo solueret ora.

Et vos Sarmaticæ clarissima lumina gentis,  
Tarnoui & Cmita, excelsi pars prima senatus:

Sit mihi fas ambos vno coniungere versu:

Quos patriæ coniunxit amor, vos publica quorum

Consilijs res nixa viget: decora & sua prisca

Obtinet: infano bellorum intacta furore.

AVGVSTVM Regem ad thalamos vrgete iugales:

Lata volens nectat connubia tertia, foelix

Iungat amor, Rex vnde alius dein scepra relicta

Lectus amore ferat populi: soliumq; superbum

Conscendat: regniq; datas desumat habenas.

Instauret gentem: nec non & nota suorum

Nomina. stat quorum gentis fortuna polonæ

Auspicijs, pax siue viris pulcherrima cordi est:

Seu certare manu placet: & discernere bello.

Heu, quoties sceptris & regno defuit hæres,

Qui motus res Sarmaticas, quæ egere pericla:

Vt fractas odijs nimium fusasq; suorum

Vidit prisca ætas: & spe sine cædere retro.

Dissidijs sensit varios Respublica casus

Debilitata suis, armis ciuilibus olim

Sarmatiam nullo grassantibus hoste per omnem:

Extincto Lecho totaq; propagine fato

Sublata: cum qui sceptris succederet hæres

Nullus erat: primi Lechi de gente suprema

Diuisis regere imperijs & scindere regnum:

B ij

Sauromatis

260 Sauromatis steterat patribus sententia cunctis  
Heu male consultis: viguit quæ rege sub vno  
Lechia, bis senis patribus commissa labare  
Cœpit: & in præceps concussa tumultibus ire.  
Hinc hostis premit, inde hostis: fremit vndiq; bellum:  
265 Et regno excidium secto, occasumq; minatur.  
Nec vicinus opes Lechi petit hostis: & ipsi  
Terris submoti, & vasto procul æquore Galli  
Sarmatiam exciti venerunt: & tristibus armis  
Vastabant vrbes late belloq; premebant.  
270 Et nisi, res hominum vt Deus est miseratus egenas,  
Arbitrijs populi lectus melioribus acer  
Gracchus, Sarmatiæ mox corripuisset habenas:  
Infestum & patrijs pepulisset finibus hostem.  
Lechi nomen, opesq; essent & Regia pessum:  
275 Regaliq; thoro sedisset Barbarus hostis.

Hanc iterum rerum faciem & crudelia fata  
Sauromatæ videre: atq; ingemuere videntes.  
Vltima Cracchorum cum dñs placitura profanis  
Vanda, suo lætum referens ex hoste triumphum:  
280 Vim quondam thalamis sceleratam inferre parato,  
Victima cæruleas præceps iuisset in vndas.  
Et, quem seruasset verorum ignara deorum,  
Vdis sacrauit dñs, virginitatis honorem:  
Neptunoq; patri, nam Sarmata tempore & illo  
285 Regales usus fascēs, Augusta q; sceptrā:  
Bis senis patribus rerum malefanus habenas  
Tradidit: imperiumq; dedit, perdendaq; cuncta.  
Gentis ad excidium & peritura Tyrannide regna,  
In tot regalis discerpta est purpura partes;

Vexauit



Vexauit populos patrum discordia demens: 290  
Exiciale malum, & sæui nutricula belli:  
Cessatura olim, nisi misceat omnia, nunquam:  
Quæ centum male suada annis possederat omnem  
Sarmatiam: totasq; implerat luctibus vrbes.  
Donec Lesconem belloq; togaq; potentem 295  
Acciuere patres, & Regia stringere scepra  
Iusserunt: tandem & fessis succurere rebus.  
Ac pene extinctos populorum & gentis honores  
In priscum reuocare decus, nec regna supremo  
Excindi fato sinat, & ciuilibus armis. 300

Quid sine Rege valent gentes: stirps Regia desit  
Si quando: cui scepra patris ceu debita lætus  
Det populus: Lechi exhaustum genus, vdaq; Vandæ  
Funera, iam pridem gentem docuere polonam.

Vosq; adeo, proceres, tanti meminisse pericli- 305  
Vsq; decet, Regi extincto natusue neposue  
Succedat: fraterue relictas sumat habenas.  
Alterius nil stirpis opus: sed sanguine eodem  
Lectus eat, qui laturus scepra aurea dextra est.

Prisca Miesslai succurrant tempora Regis: 310  
Cui paruus Casimirus erat puer: vnica proles.  
Quem quia non grati exosum fecere parentis  
Facta: furens patrio populus spoliauit honore.  
Turbata dehinc Sarmatia ciuilibus armis,  
Quum patribus non mens, ratio non vna fuisset: 315  
Queis non, o, precibus, queis non repoposcit eundem  
Effusis populus lachrymis, quæ scepra negarat  
Sponte ferens tradensq; sua, procumbere supplex  
Vsq; nec erubuit, madidosq; ostendere vultus:

320 Cluniaco dum triste seni funebreque bellum  
Commemorat patriæ: ceuque vrgens vndique fatum.  
Et regale genus Casimirum crimine nullo  
Expulsum repetit regnis: ad operta cucullo  
Tempora iam, curtasque comas de more ferentem  
325 Illorum, qui adytis se deuouere deorum:  
Pauperiem & duros æui tolerare labores  
Contemptumque ausi, libertatemque iubentum  
Subijcere arbitrijs: pronique capeffere iussa.  
Non iam fas prodire locis, aut vrbis adire  
330 Conuentus, cætusue hominum: sed mœnibus vnis,  
Quod superest, agitare æuum: vilique grabato *Rudolph*  
Pallentes durare artus: moribundaque membra.  
Dulcia coniugia & lætos nescire Hymenæos.  
Ille pater nisi, Tybri, tuum qui præses ad amnem  
335 Sublimi in solio vasti sedet arbiter orbis:  
Det veniam oranti, precibusque accomodet aures.  
Quique aditus tandem, nam frustra Sarmata patres  
Cluniacos adiit, dictis non asper amicis  
Annuit: & posito iussit regale cucullo  
340 Sceptrum ferre manu: & solio residere paterno.  
Hæc nisi Romulei Regem clementia patris  
Indulisset: opes vestrorum Lechiaque isset  
Pessum omnis: vix & seruasset Regia nomen:  
Tot discerpta odijs: bello hinc atque inde premente,  
345 Rege quid orba suo valeat: quid denique Regis  
Præsidij gens tuta sui, defensaque sceptro.  
Sauromatae o fortes, vos æui exempla prioris  
Tanta monent: sterilesequè olim decedere Reges  
Regnorum excidium certum, interitumque fuisse.

Tristius

350  
Tristius haud vnquam diri fuisse Cometæ  
Sanguineoq; viam secuere per aethera crine:  
Quam cum orbos quondam morituros sydere Reges  
Prædixere suo: nolloq; hærede relicto.


Ergo agite A V G V S T V M, proceres, prece suplice  
Orate, ad thalamos Hymenæiq; aurea vincla <sup>355</sup> (Regē  
Perpetui properet: det debita pignora regno  
Hæredem: multamq; olim post funera gentem  
Linquat auo similis: tremula cui Regia dextra  
Sceptra senex tradat: serorumq; ordo nepotum  
Inde fluat perpes, nec demoritura propago <sup>360</sup>  
AVGVSTO similis, pacem quæ præferat armis  
Antiquos fines regni & sua mœnia seruans,  
Iustitiamq; colat: pietatis amica beatæ,  
Præmia virtuti, meritoq; instauret honores.  
Inuisum feriat scelus, & fuget vrbe nocentes; <sup>365</sup>  
Infantum tutela, sequi & data iura volentum,  
Progeniem talem AVGVSTVS, post sera relinquens  
Fata senex, annisq; olim confectus & auo  
Decedens terris, magno se sistat olympos.


M. D. LIII. Mense Martio.

Przebieg choroby, ut koniam alq. Hedy redimone in hujus  
manibus. 29. 4. 1889



6489/8





6489

8

